



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Archdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

P. 12. Absolutio, & confessio Venialium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40853**

## P. 11. Dilatio pro quovis mortali.

**D**ifferenda est absolutio etiam cuius peccatori culpam lethalem confesso, donec notabili tempore vitam emendaverit : nisi absolutionem efflagitet iusta necessitas, vel adsint signa conversionis omnino extraordinaria.

Peccat hæc praxis in eo, quod requirat ante absolutionem à quovis etiam peccato graviori præmitti notabili tempore emendationem ac satisfactionem. Ac si non possit homo, gratiâ Dei & libero arbitrio instructus, vel subito, vel brevi saltem tempore ad meliorem frugum se convertere. Cum supponendum sit, peccatorem sufficientis gratiæ adjutorio non destitui.

## P. 12. Absolutio, &amp; confessio Venialium.

**C**avenda quoque sunt hæc nova quorundam dogmata. 1. Improbanda est frequens Absolutio à peccatis venialibus, qualis in monasteriis est usitata. 2. Apud Christianos primitivæ Ecclesiæ non erat usus confitendi venialia.

Opponitur generatim utrique propositioni doctrina Tridentini Sess. 14. Cap. 5. Peccata (inquit) venialia rectè, & utiliter, & citra omnem præsumptionem in confessione dicuntur, quod Piorum hominum usus demonstrat. Agnoscit Concilium illum esse usum piorum hominum, eumque esse rectum & utilem. Infero primò, Ergo rectè tam in monasteriis, quam à piis passim hominibus praxis illa usurpatur. Et ne dicas posse quidem fideles ea peccata utiliter confiteri, non tantum absolui, & expiari, contrarium ibidem innuit Tridentinum, dum subdit, eadem multis

multis aliis modis expiari. Infero secundo, Ergo Confessio venialium apud fideles pios, ac probos fuit in usu in primitiva Ecclesia. Hoc si neges, infero ulterius: Ergo in primitiva Ecclesia ab Apostolis edocta, peccata venialia non erant materia idonea Sacramenti penitentiae, aliàs Christiani in primæva Ecclesia pij ac feruentes illa confiteri non prætermisissent: esse autem venialia materiam Sacramenti, nemo ut arbitror orthodoxus inficiabitur.

Ut hæc periculosa dogmata Apostolicæ doctrinæ amatores averfentur, non parum conducet digitum intendere in fontem minimè sincerum ex quo hi perniciosi rivuli in aliorum libellos profluxerunt. Delibo pauca ex Litteris Abbatis Sancyrani *part. 1. let. 32.* Confessio (inquit) peccatorum venialium non fuit in usu ordinario per Ecclesiam nisi valdè serò ad expiationem ipsorum: quia spatio mille annorum & amplius justi, qui ea committebant, satis habebant ut plurimum eligere suâ sponte quasdam penitentias leves, priusquam assisterent Sancto Missæ sacrificio.

Hic ille est Sancyranus proprio nomine Joannes Vergerius, qui inter alia novæ doctrinæ capita, statuit æqualitatem omnimodam inter S. Petrum & S. Paulum absque subordinatione in potestate suprema, & regimine universalis Ecclesiæ. Hanc autem doctrinam, nec non quolibet libros illam continentes, ab Innocentio X. constat esse autoritate Apostolicâ profligatam, & omni censura dignissimam.

Exemplar